

~~LXXXV.~~  
5

I. N. J.

# MEMORIA S. PAULI APOSTOLI,

anniversario honore  
publicè

RECITANDIS ALIQVOT EXERCITIIS  
tam in prosâ quàm Ligatâ,

in

AUDITORIO NOVO,

## Ad Diem Festum Conversionis

Paulinæ,

Horis matutinis  
recolenda,

Cui ut benevolè & frequenter interesse, copiamq;  
sui prolixè facere dignentur,

*Eminentissimi in hac Civitate Proceres, Domini,  
& viri doctissimi juxta ac Honoratissimi,*

Est quod officiosè & humanissimè rogat  
invitatq; cunctos

**M. JACOBUS REICHMANNUS, Rector.**


TORGÆ,

Literis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPI,  
Sereniss. Elect. Saxon. Typogr.

1678

62





## I. N. J.

**V**ale sit illud Sanctissimi Hipponensium Præsulis  
 ternâ optione votoq; pari constans desiderium, ,  
 quod in ore omnium atq; adeò maximâ jam in ce-  
 lebritate versatur, in præsentis & pretium operæ pensare  
 curatius, & considerare singula, à Festo Paulino, hocq; ipso  
 tempore volvente haud erit alienum. Eo quippe & pietatis  
 ardore flagravir pectus verè augustum, ut præter rem longè  
 humanæ conditionis modum transcendentem, divinum ali-  
 quid & cœleste præcipuè in eo spiraret, dum cupidissimus  
 intuendi cum primis ipsius Christi Salvatoris & Immanuelis  
 suavissimi in carne præsentis fuit è Latinis Patrum selectis-  
 simus & morum virtute juxta ac sanctitate insigni præditus,  
 unâ cum selectissimi Illius præconis, Pauli Apostoli ore ig-  
 neo fulminantis; nec non celeberrimam istam omniumq;  
 gentium Reginam antiquo adhuc in flore suo vigentem Ro-  
 mam perlustrandi. Sunt in animis hominum ejusmodi af-  
 fectus jucunditate quâdam speratæ voluptatis excitati, qui  
 & quandoque sese exerunt, & quasi de cinere flammulas  
 emicantes ostendunt procul, disperguntq; latius, nec faci-  
 le sibi temperant, donec potiundo bono, quod deerat, re-  
 stinguantur: aut si forte contrâ malo aliquo pressi, demum  
 eo ipso liberentur planè atq; exuantur ex voto.

Et sicuti mille hominum species & rerum discolor  
 usus: sic & velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. A-  
 deò

2707.

ded amplum cor humanum solers natura finxit, ita certe, ut cum ætate crescentes affectus & magis aucta desideria videas majores acquirere vires, sedemque sibi à natura parente tributam dilatare valdè, ut incredibili capacitate sua, ingentique ambitu complecti videantur quicquid humanarum juxta ac divinarum rerum promittere cuiquam vel ipsum cœlum, vel terræ spatium præstare sufficiat. Tamq; egregium, tam admirabile in cunctis operibus Dei artificium hoc est, sapientiæque divinæ maximum documentum, quod nullius unquam hominis ingenium scrutari satis, nulla ullius acuminis investigare vis, nulla deniq; lingua proferre aut explicare condignè valeat. Solus autem DEUS est, cui cuncta patent, quem nihil latet, cujus & infinita potestas & admodum gloriosa Majestas transmeat ac replet universa.

Sed enim in tam vasta amplitudine tantæ quoque latebræ sunt & tanti recessus, ut variè animati varia concipiant vota, & cogitationes pariant diversas, quæ vel in alterutro sistunt, ut vel tollantur probatæ, raptumq; fortè in admirationem animum tacitis quibusdam aculeis subindè agant atque exstimulent; vel si humiles nimis atq; abjectæ, & nescio quid horrendæ & infamossæ fœditatis sapiant, diris omnibus profligatæ devoveantur. Prodeunt autem tandem, nec diutius in pectore clausæ durare queunt. Hinc fieri solet, ut jam prorumpant ex fœtido ore impia illa ac detestanda Caligulæ vota omni procacitate ac horribili turpitudine stipata, quæ vesanus eructavit animus, velut portenta & prodigia ad ultimos Garamantas & Indos deportanda. Omnium vota provocare & exponere latius vetat hæc angustia paginarum, quæ & meritò cum Epicuro sordido, cumq; Midâ pereant æternum tanquam

):( 2

quam

quã vana aut stultissima. Sanctos verò sancta decent & quid-  
quid piarum meditationum in intimioribus latet, id spirant  
animo, anxiiis desideriis intus colluctantibus quodammo-  
do, spatia aperta quærunt & erumpunt foras, affectuq; pla-  
nè anhelò ambiunt, quæcunq; honesta cupido permittit.

His initiis fundamentisq; nascuntur ejusmodi quo-  
que postulata, quæ licet in publicum nihil præstare, nec  
omnes absolvere summæ beatitudinis numeros videantur,  
communi tamen levitate carere, & sæpè non parum utili-  
tatis afferre, aut dare vix aut nunquam stultæ ac inconside-  
ratæ cujusdam temeritatis in cupiendo pœnas animadver-  
timus. Inter quæ & hoc supra laudatum B. S. Augustini cen-  
sendum est, sive votum, sive petitem appellare malis. Ad-  
spirabat ille ad ista tempora, quibus in carne apparuit DEus  
& puer in terris natus, ut dominantium dominum regnan-  
tē in cœlis, exosculetur in terris, ubi filius Dei filius homi-  
nis esse ceperat. Quem tot videre optarant Prophetæ, & u-  
niversus antiquissimorum Patriarcharum Chorus. Cujus  
intuitu satiari unquam nequit humanus oculus, quin eò as-  
siduè respicere semper in omni vitâ necesse habeat. Et quid  
dico de humanis oculis? æterna illa beatissimorum san-  
ctorum lumina vultum hujus divinâ gloriâ & inusitato  
splendore fulgententissimum introspicere, ac coram vi-  
dere præproperâ sæpè exoptarunt spe, & hoc in delitiis  
cœlestibus habere desiderarunt. Quidni benè compo-  
sita mente id S. Augustinum optavisse æmulatione qua-  
dam abreptum pariter credamus? Nec remissior ille af-  
fectus in selectissimo patrum fuit, quo votum suum am-  
pliare, & una quoque sanctissimi Apostoli Jesu Christi os  
illud in quò suada ipsa, vel potius mellitissimus Jesus noster  
sessitavit, intueri coram, ac admirari summa cum attentio-  
ne

2709.  
ne optavit, nec non divinitatem ingenii altioris, quo omnes  
eloquentiæ numeros unus implevit, observare cum volu-  
ptate jucundâ. Illa pulcherrima videndi ratio non tam vene-  
randa sua pulchritudine quàm utilitate, cujus pro virili par-  
ticeps esse volebat & hîc Augustinus, non parum hoc loco  
æstimanda venit. Fovendi enim & maximè sunt Apostolici  
viri, & si ad eorundem felicitatem in pari munere adspira-  
re non possumus, insistere tamen ipsorum vestigiis par est, &  
omnibus modis probandus ejusmodi affectus. Romæ eti-  
am in voto hic locum esse voluit noster, sed antiquam il-  
lam ac puram adhuc, nostrâque hodiernâ infinitis partibus  
meliorem, nec tergemina illa coronâ, sceptrisque ac ensi-  
bus turgentem, quæ magnificentissimis omnis generis &  
palatiorum, turrium, cum theatralibus ædificiis tantum  
caput extulit inter omnes urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi:  
Cujus & invicta virtus atq; prudentia cū populi non vulga-  
ris splendore gentibus cæteris superior fuit, omniq; posteri-  
tati secutura summæ erit admirationi. Quamvis igitur huic  
literis consignato atq; jam exposito triplici voto Augustineo  
sua constet laus & commendatio, fieri tamen non potest,  
quin diligentior rem expendentî, occurrat illud, nescio cujus  
Poetarum. Non est immortale quod opto, Immortale igitur  
optandum foret, & ut à quolibet cordato probatum, ita ma-  
ximè sequendū. Et quidem quod Romam attinet, quantum  
quæso detrimenti passa hæc est urbs ab S. Augustini obitu?  
quantum mutata ab illâ vetere est, cui Epistolas suas dedi-  
care non erubuerat S. Apostolus noster Paulus? Verè jam id  
dicendum censeas de Româ hodierna, quod olim de mundo  
dixisse fertur B. Lutherus: Esse videlicet stabulū pessimorum

):( 3

homi-

hominum omniumq; flagitiorum & nequitiarum plenum ergastulum. Quid juverit illam vidisse, in qua foedissimi mores, cruentæ cædes & immanes truculentia regnant, unde potius corrumpi solent aut perire qui spectant, quam ut probiores recedant & salvi in patriam revertantur.

Ad Christum certè videndum invitare nos poterat jucundissima species, cui nec oris suavitas, nec concinna membrorum pulchritudo deerat, & jure meritoq; à quovis mortalium petenda, qui cœlestis voluptatis genere carere nollet. Fuerunt tamen & olim, quibus quotidie Christum in carne videndi copia data atque facultas, cum spectandum se exhiberet hominum oculis: Verum quæ utilitas inde redundarit ad eos, quodve emolumentum, Judas & Pilatus satis loquuntur. Novimus feliciores longè fuisse prædicatos à Salvatore, qui licet tanti spectaculi expertes, fide modò ac pietate non exciderint, sed credant ac sperent brevi in futura vita se conspectu longè jucundissimo ac perquam gratissimo posse frui. Ibi enim visuri sumus ipsum sicut est, & fruemur sine fine & satietate in æternum incomparabili bono. Paulinum os & facies externa nulli quidem nostrum nota sunt, perquam notissimæ verò ipsius conciones, quæ ex mellitissimo ore profluxerunt in calamum, hodieque nostræ meræ sunt delicia, quas divina nocturnaq; manu versare & volupe est, magisq; fortasse juvant, quàm si ipse Paulus jam in terris præsens esset & inter nos versaretur vivus. In cœlis vivit jam Paulus, in terris ejus imago splendet adhuc spiratque in tot voluminibus sacris, nec memoriam illius interire finet unquam Ecclesia, quam diu est duratura, durabit autem unâ cum DEO. Fasti interea Christiani annuam Ejus Festivitatem nobis inculcant fideliter, revocantq; animos nostros

stros



271.

stros ad Historiæ Paulinæ summam. Ne ergò prætereatur  
ita cum silentio tanti Apostoli lux & memoria, maxima  
cautio nostris quibusdam fuit optimæ indolis & spei disci-  
pulis. Et quantum in cujusq; horum ætatem cadere pote-  
rat, elaborare contendit quivis particulam Paulini curri-  
culi, earumq; rerum, quas illa dies volvendas nobis putan-  
desq; cum animo objicere visa est. Recitaturi itaq; ex me-  
moriâ hi ipsi sunt, de cathedra novi Auditorii, ad ipsum  
diem Pauli conversioni sacratû, Finitis sacris antemeridia-  
nis Hora IX. quicquid pro virili in ejusmodi argumento do-  
mi meditati sunt. Ut ergò pietati exercitiisq; illorum fa-  
vere abunde & benevola manu applaudere velint Audi-  
tores eminentissimi, rogatum venimus conciliaturi fre-  
quentiam aliquam, petentes: ne grave sit Admodum Reve-  
rendis, Nobilissimis, Excellentissimis, Prudentissimis &  
Spectatissimis Doctissimisq; Viris, Domino Antistiti, Dn. n.  
Patronis, Doctoribus & Inspectoribus scholæ, cæterisq; Fau-  
toribus nullo non honore excipiendis, præsentia sua atq;  
authoritate gravissimâ illi festivitati dare aliquid spatij, &  
in auscultandis his oratiunculis facilem & forte haud pœ-  
nitendam ponere operam. Cedet hoc ipsum in DEI glori-  
am, cui unâ & laudes & gratiæ reddentur pro immensis be-  
neficijs Ecclesiæ & Reip. liberalissimè tributis: cedet in ho-  
norem Dominorum nostrorum, scholæ & literis semper  
faventium: cedet & in pietatis & studiorum à discipulis  
continuandorum majus incrementum, meritorumq; qui-  
bus benevolentibus unus quisque nostrum se obligatum  
profitebitur, deprædicationem: eoq; promptiores ad de-  
merendum, quidquid hac in parte boni collatum depre-  
hendetur, nos futuros, eâ quâ par est humanitate omnes &  
singulî spondemus. Dab. Dn. II. Epiphan. A. C. M. DC.  
LXXIIX. Juxta

2712.

Juxta hunc ordinem præscriptum unusquisque  
partes suas expediet, & quidem  
brevibus.

- Prologi. PAULUS HOFMANNUS, Dresdensis.
- Pauli Pueri surculi instar formati: JOHANNES SCHMID-  
US, Jüterbocensis.
- Pauli Studiosi: DANIEL PLOKIUS, Torg.
- Pauli, sive Sauli Perversi & Furiosi: JOH. PAUL. SCHRÖTE-  
RUS, Torgens.
- Pauli Conversi: CHRISTIAN. LISTIUS, Torgens.
- Pauli Theologi: CHRISTIANUS BEATUS KENZEL-  
MANNUS, Trebizensis.
- Pauli Apodemici s. Apostoli & Legati: DAVID HAKE,  
Kembergens.
- Paulini curriculi, per totum carminicè in lat. ling. CHRI-  
STIAN, GÖTZE, Wurzens.
- Ejusdem in German. ling. CHRISTIANUS HAKE,  
Kembergens.
- Epilogi Latini: PAULUS NICOLAUS HERMANNUS, Torgens.
- Epilogi Germanici: JOHANNES ABRAHAMUS HOFMANNUS,  
Torgens.

DEO SOLI GLORIA.



LXXXIX.



99 A 6971

ULB Halle 3  
002 912 201



Sb.

VJ 12  
Retro







LXXXV. 5

I. N. J.

# MEMORIA S. PAULI APOSTOLI,

anniversario honore  
publicè

RECITANDIS ALIQVOT EXERCITIIS  
tam in prosà quàm Ligatà,

in

AUDITORIO NOVO,

## Ad Diem Festum Conversionis

### Paulinæ,

Horis matutinis  
recolenda,

Cui ut benevolè & frequenter interesse, copiamq;  
sui prolixè facere dignentur,

*Eminentissimi in hac Civitate Proceres, Domini,  
& viri doctissimi juxta ac Honoratissimi,*

Est quod officiosè & humanissimè rogat  
invitatq; cunctos

**M. JACOBUS REICHMANNUS, Rector.**

TORGÆ,

Literis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPI,  
Sereniss. Elect. Saxon. Typogr.

1678

62